



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Vademecum Sive Praxis Opera Quotidiana Aliaque ritè
peragendi, & per ea salutem & perfectionem propriam, ac
proximi, instituto Societatis Jesu conformem assequendi**

Limpens, Ferdinand

Coloniæ Agrippinæ, 1744

Dos Prima, Prudenter & providè omnia disponenda.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-54750](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-54750)

hominibus quâ promissus Messias agere incepit, primò *attigerit*, sive considerârit accuratè omnia quibus fines sibi propositos assequeretur. Secundò *fortiter* adhibuerit media pro finibus istis consequendis excogitata. Tertiò disposuerit corda hominum *suaviter*, fortitudinem suam insigni mansuetudine attemperando. Contraria his tribus qualitatibus vitia nostra in rebus agendis solent esse tria. *Primò* Inconsiderantia in exquirendis mediis maximè congruis & efficacibus. *2dò* Ignavia in iis exequendis. *3tiò* In ipsa executione Impatientia, aut alius præceps animi motus. Jam bene adverte, & ad hos tres defectus, & ad tres iis oppositas Christi doctes.

DOS PRIMA,

Prudenter & providè omnia disponenda.

Primò itaque exspectat D. N. J. C. ætatem annorum triginta, antequam abscondita à constitutione mundi eructare, hominibus verbum DEI, novamque legem prædicare, & cum iis conversari incipiat, eò quòd talis ætas maximè congrua sit ejusmodi muneri. Exspectat deinde, donec Præcursor suus Joannes disposuerit animos illorum, quibuscum acturus erat, & hic ipse eam sibi apud populum auctoritatem conciliaverit, ut ei fides adhibeatur. Et sic convenientius ipse Christus primùm innotesceret alterius, quàm proprio indicio. His mediis præ-

am-

ambulis adhibitis, ipse se manifestare incipit; prius tamen opere, quam verbo prædicando. Hinc humilitatem, à qua semper opus Apostolicum inchoandum, exercens, baptizari vult instar peccatoris à Præcurfore suo. Dein dat se in preces, aperitur cælum, Spiritus sanctus in columbæ specie in illum delabitur, & auditur vox æterni Patris: *Hic est Filius meus dilectus, in quo mihi bene complacui.* Matth. 3. Hâc auctoritate apud homines sibi comparatâ non contentus secedit in solitudinem, ulterius ad magnum, quod præ manibus habebat, opus inchoandum, se quasi præparaturus. Ibidem quadraginta dies in precibus ac jejunio transigit, agitat animo, ac circumspicit tum omnia à se faciendâ, tum media ad ea maximè opportuna, tum casus ac eventus varios, qui in tam salutari opere sive obesse, sive prodesse possent. Hæc omnia *attingit à fine usque ad finem providè*: non quòd ejusmodi sollicitâ ipse indigeret discussione. Sed ut hoc modo doceret solidâ, & bene longâ nos indigere præparatione ad opera Apostolica perficiendâ. Ne ruamus cœcè in ea, quæ vocatio nostra exigit; sed circumspeditione debitâ, discussione mediorum ad finem intentum optimorum; internâ demum, per preces, aliâque opera pœnosa, animi præparatione præmissâ operi Apostolico præludamus. Hunc in finem S. P. N. præter menstruam, hebdomadariam, quotidianam in examine generali & particulari recollectionem, octiduada præscripsit quotannis exercitia, atque post tum docta humaniora, tum tra-

tractata altiora studia integrum tertiæ probationis annum instituit. In quo discas in qualibet postmodum actione præsentem ac collectum habere animum, præteritorum in ordine ad emendationem memorem, & futura, ac præsentia, in ordine ad bene fructificandum, providè disponentem. Hunc considerationis usum testamento reliquit David filio suo Salomoni 3. Reg. 12. nil æquè commendans, quàm ut in omni actione sua sit circumspectus. Et in eo ipse Salomon Prov. 14. sapientiæ apicem collocavit: *ut intelligat quis viam suam.* Hæc est discretio, quam ajebat magnus ille Sanctus Antonius apud Cassianum Collat. 2. *Oculum & lucernam corporis* in Evangelio nuncupari. Hoc denique argumentum est præclarissimorum quinque librorum, quos de consideratione S. Bern. Eugenio Papæ inscripsit, ut exinde omnem in agendo & loquendo præcipitantiam cavere disceret, aliæque, quæ exteriora complectuntur, moderari, & interiùs omni levitate animi facilè evagantis repressâ peritiam suû ipsius regendi consecutus, sapienter ac providè omnia in ordine ad Ecclesiam totam tantò felicitiùs gubernandam disponere ac ordinare posset. O quàm vellem! hæc bene à te in omni spiritali secessu, imò & in quotidiana animi recollectione ruminari. Ne imposterum toractiones tuæ, etiam bonæ, etiam in bonum proximi per se tendentes sint potiùs hominis, quàm humanæ, potiùs naturale quid, quàm Divinum, aut spirituale sapientes, adeoque

que aut nullius, aut exigui apud DEUM meriti
apud proximum fructus.

DOS SECUNDA,

Omnia fortiter exequenda.

Secunda proprietas, & Divinæ Sapientiæ, & Christi Salvatoris est, quod fortiter adhibuerit media, quæ prævisa erant pro fine suo consequendo maximè congrua & efficaciâ, omniâque ea in opus redegerit, quæ consideratio prævia dictaverat esse facienda. Et hæc fortitudo ac constantia est *anima* cujuslibet actionis Apostolicæ, sinè qua, quidquid etiam ad gloriam DEI, proximique salutem suscipitur, languet, & vel ex ignavò quodam torpore animi opus inchoatum relinquitur, vel ad aliud ex prioris fastidio transfilitur. Tales imbelles Apostoli dantur multi. Nolim ego tibi inculcare fortitudinem Christi à te non imitabilem, v. g. quomodo converterit mundum per piscatores, homines rudes, illiteratos, quomodo per miracula totque invictos pugiles, per puellas puerosque debiles suâ gratiâ confortatos, Reges & Principes, orbemque universum belluarum potius, quàm hominum moribus imbutum, jugo suo subjecerit, coëgeritque, ut venerandum JESU Nomen adorent cœlestes, terrestres, & infernales Potentiæ. Ecce fortitudinem, quam in vocatione tua Apostolica imiteris. Vicit ille occurrentia, ex agrestibus Discipulorum suorum